

Quot enim labores misericordie Deo offerentes exerceant, tot iam remunerationis suae pignora intra spei suae cubiculum clausa tenent, & eominus deficient, quo maiora patiuntur. Spes etiam in possessione regni caelestis animam quodammodo introducit, & existentibus in hac vita mortali: immortalitatem attingere facit: sicut legitur de beatis martyribus scriptum. Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. Ab illis enim dum mortis tolerantiam indubitanter excipitur, spes immortalitatis euidenter asseritur, & suauiter degustatur. Nunquam enim hanc vitam sic constantiter expendent, nisi esse alteram incomparabiliter beatiorum perfectam diffinitione sentiant. In presenti enim tempore spes est quaedam vigilia solennitatis aeternae. Non ieiunant, sed quasi iuge conuiuio celebrant, cum mentem, quam replet caelestibus dapibus veterumque impingunt. Ipsa facit inter dolores gaudere. Si mihi (ait quis) praemia promittantur, per te obtinenda sperabo. Si insurgant aduersum me praemia, si fremat inuidus, si laetant malignus, si ipsa caro aduersus spiritum concupiscat, in te ego sperabo Domine. Quicquid igitur mali terre imponitur, firmo gaudentique animo tolerandum est. Remedium enim malorum, bonorum spes est. Nec innocentem debilitat mentem illara contumelia, quoniam in aduersus solatium est non meruisse, quae patitur: Innocentem fortuna deserit saepe: bona spes nunquam. Spes naque est arca aeterni praemij, & ponderatio futurae suauitatis: cui datur intrare in hortum spiritualis voluptatis, & inde afferre odores ad condiendas amaritudines praesentis aduersitatis. In deserto mundi delicis haec affluit, & temporalium damna non sentit. Haec est quae domino confidenter dicit. Quid enim mihi est in caelo, & a te quid volui super terram? Ipsa est in labore requies, in aestu temperies, in fetu solatium. Ideo quiescere debet vox nostra a gemitu, & oculi nostri a ploratu, quia merces nostra magna est nimis. Haec quoque Deo adherere facit, & confidenter dicere. Tu es domine spes mea. Haec omnium promissionum, ait sperans, mihi vna est: & in hoc verbo tota ratio mea expectationis solidatur. Alter metitum pondus diei & aestus sustinere se iacet: ieiunare bis in sabba dicit: postremum non esse, sicut ceteri hominum gloriatur. Mihi autem adherere Deo bonum est: ponere in domino spem meam. Gemma speciosissima, & gratiosissima spes est: quae ad modum gemmae perlucida est: & peruia in suo interiori: ita ut per eam videantur bona aeterna. Ipsa denique elisos erigit, & vires reparat. Latro agnouit sperando: Petrus vero timendo negauit. In Petro monstratur quendam de se non debere praesumere: in latrone nullum impium conuersum debere diffidere. Timeat ergo bonus, ne pereat per superbiam: & malus, ne desperet per malitiam. Nullus desperare debet veniam, etiam si circa finem vitae ad poenitentiam conuertatur. Vnum quoniam enim Deus de suo fine, non de vita praeterita iudicat.

De quinque speciebus virtutis spei, quae ad cognoscendum proficiunt. CAP. III.



Quoniam in praecedentibus luculenter descripti sunt effectus & dignitates spei: nunc domino donante, in speciebus & diuersitatibus ipsius immorandum est,

quatenus a vitio discernatur virtus. Facile namque in elationem mens corruit: quum distinctiones vitiorum & virtutum ignorat. Sciendum igitur est, quod quaedam spes est maledicta: de qua dicitur. Est infidelis fiducia solius maledictionis capax, quum spe peccamus. De hac Apostolus. An diuitias bonitatis eius, & patientiae, & longanimitatis contemnis? ignorans quod benignitas Dei ad poenitentiam te adducit. Secundum autem duritiam tuam: & cor impoenitens 10 thesaurizas tibi iram in die irae. Nullum enim scelus coram Deo tam abominabile fit, quam spe misericordiae Dei peccata perpetrare. Tunc miserabili quadam spe erigitur anima: cum turpia & obscena delectant. Et delinit esse remedij locus: vbi tanquam mores vitia dominantur. Est spes praesumptuosa, quum aliquis sperat se facturum quod voluerit: cum vires eius excedat. Aduersaria enim praesumptuosae confidentia est, quae periculis pro certo vitam suam commendat. Et lubrica spes est, quae inter fomenta peccati saluari se sperat. Incerta victoria est inter hostilia arma pugnare: impossibilis liberatio est flammis circumdari, & non ardere. Expedit igitur magis benemerere, quam male confidere: & vitiosus est, vt infirmum se homo cognoscat, & ster, quum vt de se praesumens cadat. Est spes vana, quum fiducia quae ponenda est in creatore, ponitur in creatura. De hac Hier. dicit, Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & recedit a domino cor eius. Hic super arundineum baculum confidens (id est in creatura) quae pro se nihil potest, collidetur valide, si fractum fuerit. Spes vique huiusmodi quasi lanugo, quae a vento tollitur, & tanquam spuma gracilis, quae a procella dispergitur. Est spes falsa, quum quis sperat, quod futurum non est: sicut ille, cui dictum est: Stulte hac nocte repetent animam tuam Luc. 12. a te, & bona quae preparasti, cuius erunt: De his dicitur. Posuimus mendaciam spem nostram. Quisquis es, o homo, qui hanc falsam spem de corde tuo eradica- 40 re, vt iliter proponis: mortis horrorem, iudicis terrorem, ardentis gehennae metum ab oculis cordis tui elongari nullatenus patiaris. Cogita peregrinationis tuae miseriam: recogita annos tuos in amaritudine animae tuae: meditare vitae humanae pericula, considera fragilitatem, & in huiusmodi cogitationibus si perseveraueris, nihil reputabis cuncta quae foris videntur, in quibus false confidunt homines, dum toto corde circa interiorem molestiam occupantur. Est spes vera, si in solo Deo ponatur, de qua dicitur: Quis sperauit in domino, & confusus est? Tunc namque veram esse hominis spem potest comprobari, si adsit meritum. Integra enim consolatio est, cum non solum quid sibi sit sperandum: sed vnde sit praesumendum nouerit quisque parum habet laudis virtutum corona, & spei magnitudo, quae ex labore non descendit. Potest quidem habere palmam, sed non habet gloriam. Haec est magnarum ratio virtutum, vt quanto plus homo laborat, tanto plus mercedis acquirit & spei. Item si in tribulatione non deficiat: vnde Iob. Si etiam occiderit me, in ipso sperabo. Tanto etenim 60 spes solidior in Deo surgit, quanto pro illo quisque grauiora pertulerit: quia nequaquam gaudium spei de aeternitate colligitur, quod hic non prius pia tribulatione seminatur.

Laur. Iustin.

Quod

Rom. 2.

Hier. 17.

Luc. 12.

Iob. 13.

Sap. 3.

Psal. 90.